



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

7. An in prohibitionem alienationis rerum Ecclesiasticarum detur parvitas materiae? Idem est dicendum de locatione. Sed difficultas est in supradicta quaestione, quae dicantur terrulae, & quae res exigui ...
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76432)

ramentum non manifestandi examinandi neque in genere, neque in specie ea de quibus interrogari debent; Ideo nunc ratione dicti Iuramenti illam opinionem protulsi refello, & assero examinatores Episcoporum non posse aliquid Episcopis examinandis manifestare, etiam si sint doctissimi; & prae verecundia timeatur, non bene responsuros; Et ego factus examinatur Episcoporum a fel. mem. Urbani. VIII, ratione dicti iuramenti hoc semper in praxi rigidissime obseruari, nec aliter obseruandum esse puto; & sicut alibi dixi, doctrinam a me superius positam non esse intelligendam, quando aliqui examinarentur in concursu, propter dampnum tertij: sic etiam tunc assero, non procedere in examine Episcoporum, ratione praestiti iuramenti.

5. Nota etiam, me olim cum multis Doctoribus docuisse, habentem privilegium comedendi lactinia in diebus ieiuniorum, posse comedere faginam: Sed modo, re melius considerata, protulsi negatiuam sententiam sustinendam esse puto.

RESOL. VI.

An in conscientia erronea detur paruitas materiae? Sed difficultas est, quando conscientia erronea non distinguitur a mortali sit, vel veniale, sed solum confuse proponitur actio mala, an tunc peccatum mortale sit? Ex part. 5. tr. 5. Resol. 31.

§. 1. Affirmatiue respondeo cum Azorio tom. 1. lib. 2. c. 8. q. 5. vbi sic ait: Queritur an sit lethale, an veniale peccatum contra conscientiam errantem agere; Respondeo interdum esse lethale, interdum veniale peccatum, pro varietate materiae grauis, vel magna, vel leuis & parua, in qua conscientia errat, & pro varietate iudicij quo aliquid suadendo, vel monendo aberrat a lege. Potest enim accidere, vt conscientia existimet aliquid esse veniale peccatum, & quatenus tale vitandum, licet alioqui sit materia grauis. Item potest existimare aliquid esse crimen lethale, & quatenus tale cauendum & fugiendum, cum tamen res sit alioqui leuis, vel media, & indifferens. Ita ille, quem sequitur Alphonsus de Leone de officio Confess. p. 1. recollect. 7. mem. 21.

2. Sed difficultas est, quando conscientia erronea non distinguit, an mortale sit, vel veniale: sed solum confuse proponitur actio mala, & tunc peccatum mortale adest docet vtrique Sanchez, Thomas, & Ioannes, hic in select. disp. 18. num. 1. ille in summa, tom. 1. lib. 1. cap. 1. n. 9. quibus adde Castum Palaum tom. 1. disp. 1. punct. 1. n. 6. quia cum amplecteris obiectum venialiter malum, dubitans an sit mortale, peccas mortaliter secundum omnium sententiam, quia te exponis periculo mortale committendi. Sed quando tibi representatur obiectum malum, prohibitum, neque distinguens an sit mortale, vel veniale, illud amplecteris, iam quantum est ex tua voluntate periculo committendi mortale te exponis, ergo.

3. Verum Perez certiam. 10. scholast. num. 29. Salas in p. 2. tract. 8. disp. vnic. sect. 3. num. 33. Valentia tom. 1. disp. 2. q. 14. punct. 4. & alij asserunt in tali casu committi solum peccatum veniale, quia voluntas appetens malitiam in communi, non appetit malitiam excedentem culpam venialem, alia si excederet, non esset venialis, & mortali communis. Vnde vtramque sententiam probabilem esse puto.

RESOL. VII.

An in prohibitione alienationis rerum Ecclesiasticarum detur paruitas materiae?

Idem est dicendum de locatione. Sed difficultas est in supradicta questione, qua dicantur terrulae, & qua res exigui valoris? Ex part. 5. tract. 5. Resol. 57.

§. 1. Affirmatiuam sententiam tenendam esse patet cap. terrulas 12. q. 2. & ita docent DD. quos citat & sequitur Riccius in praxi tom. 1. resolut. 36 quia in generali prohibitione alienationis modica non veniunt, vt notat Bald. vol. 1. conf. 91. & idem restitutio in integrum pro modica latione non datur, vt docet Burlatus conf. 27. n. 17. & Sfortia de restit. in integr. quest. 4. art. 12. n. 109. & pro modica sterilitate non fit remissio mercedis, vt vult Valacus decis. 30. vide etiam Gutierrez. conf. 15. num. 7. & sequ. Carder. Pereira in l. si curatorem, ver. contrarium, num. 15. C. de integr. rest. minor. & Quarantam in summ. Bull. ver. alienatio, n. 41. vbi notat per factam Congregationem decissum fuisse, neque constitutionem Pauli 11. neque Concilij Tridentini Decretum derogasse dispositioni supradicti textus c. terrulas, qui quidem textus procedere non solum in alienatione, sed in locatione etiam, tenet Thomingus decis. 23. Crotus volum. 1. conf. 96. n. 14. & alij.

Quoad hoc lege doctrinam Rel. not. seq.

2. Sed difficultas est qua dicantur terrulae, & qua res exigui valoris: Glossa ait quod forte hic textus exiguas vocat non valentes ultra viginti solidos, refert & sequitur Archidiaconus in cap. si quos, hac eadem causa & quest. Alciat. conf. 21. num. 6. & sequ. Sed probabilius est Iudicis arbitrio hoc esse remittendum, qui consuetudinem terra & temporum locorumque qualiter attendere debet, & inspicere conditionem Ecclesiae, si sit pauper, vel multum abundans. Ita Quaranta dicto n. 41. Aloysius Riccius dicta resolut. 36. in fine.

hoc pro mobilibus pretiosis in tom. 7. tr. 1. Resol. 22. lege doctrinam eius §. 1.

RESOL. VIII.

An praeceptum sub mortali impostum, sub materia leui obliget saltem sub veniali? Ex part. 5. tr. 5. Resol. 48.

§. 1. Respondeo affirmatiue cum Suarez de legibus, lib. 3. cap. 26. num. 6. duo enim sunt in dicto praecepto distinguenda, vnum est, talem rem praecipere, aliud est praecipere sub tali obligatione, vel poena. Primum, vt supponimus, non est iniustum, quia ponimus materiam praecipere simpliciter honestam esse, & in suo gradu iustam, & capacem praecipere. Secundum autem iniustum est. At verò non obstante iniustitia & nullitate quoad secundum potest praecipere valere, quoad primum quod iustum est, tum quia illud est prius natura, vt sic dicam, & ex se separabile a secundo; tum etiam, quia in his, quae huiusmodi sunt, vtile per inutile non viariatur. Neque intentio praecipientis intelligitur esse conditionata, ita ut nolit praecipere quod potest, si non potest obligare quantum appetit, sed potius absolute intendit praecipere, & volendo obligare plus, quam potest, consequenter etiam vult obligare quantum potest, & ita censeo tale praecipere esse validum quoad obligationem commensuratum, & proportionatam materiae eius, quia quoad illam non deest intentio praecipientis, & nihil aliud est quod ibi desideretur. Et ita etiam hanc sententiam docet Sanchez in sum. tom. 2. lib. 6. c. 4. num. 46. & Baldellus in dispus. Theologicis tom. 1. lib. 5. disp. 10. n. 9.

RESOL. IX.

An contemptus formalis in re leui, v. g. legislatoris humani,